DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

APOPLEXIA.

For
Sims from his most
spectfull obed.t Servt
Author

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE

APOPLEXIA.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

DIDERICI VAN DER KEMP,
S. S. THEOLOG. DOCT. ET HISTORIAE ECCLESIASTICAE PROFESSORIS ORDINARII UT ET V. D. IN EADEM URBE MINISTRI.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS, RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

LUCAS Mc. CANN,

HIBERNUS

A. B. Trin. Coll. Dub.

Ad diem XI. *Auguſtii* CIϽIϽCCLXXV. *hora locoque ſolitis*

Pro re pauca Loquar.

VIRG.

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD JACOBUM MURRAY.

PERILLUSTRI

VIRO

NATHANIELI BARRY

MEDICINÆ DOCTORI, ET EJUSDEM IN ACADEMIA
ALMA DUBLINIENSI REGIO PROFESSORI, COLLEGII
REGALIS MEDICORUM IBIDEM SOCIO,

NEC NON

BRITTANNICI REGIS IN HIBERNIA EXERCITIBUS MEDICO
PRIMARIO, SUMMO CUM CULTU, ET REVERENTIA,
S. P. D. AUTOR.

SPECTANDE VIR.

INDULGENTIA TUA FRETUS, PRIMITIAS HASCE STUDIORUM
MEORUM TIBI COMMENDARE AUSUS SUM, QUOD NON
TAM ARROGANTIÆ, QUAM ERGATE OBSERVANTIÆ,
ATTRIBUAS ORO. SIS, O, SIS, VIVAX, SOSPESQUE,
UT INCOLUMI TE, PATRIA, CONJUX CHARA,
PROGENIES ET AMICI, NE DICAM, PARS
ÆGRA MORTALIUM, DIU, LÆTENTUR.

Vale.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE APOPLEXIA.

Quoniam in Celeberima hæc Academia ſolenne eſt, ut qui ſummos in Medicina ambiant Honores, de morbo aut argumento quovis medico ſpecimen exhibeant; nos ratis legibus, locique conſuetudini, hac in re potius, quam propriis Confiſi viribus, morem geſturi; hoc tentaminis de morbo quidem gravi & contumaci, triſtis, haud raro infauſtique eventus, nec arti, nec remediis, cedente, ſed ægrum e medio plerumque exturbante, proponere audemus.

Mor-

Morbus de quo breviter tractaturi ſumus Apoplexia audit, Quæ tunc adeſſe dicitur, quando repente actio ſenſuum externorum, tum internorum, omneſque motus voluntarii abolentur, ſuperſtite pulſu plerumque forti, & reſpiratione difficili magna, ſtertente, una cum imagine profundi, perpetuique ſomni (*).

DIAGNOSIS.

Etſi exquiſita & ſtrictius dicta Apoplexia, ab alio quovis morbo, per affectiones jam enumeratas ſatis diſtinguitur, tamen perſpicuitatis gratia diſcrepantias minutiores recenſebimus. Imprimis ſanguineam inter & ſeroſam de quibus tantum hic diſſeritur, diſcrimen habetur per cognitam cauſam excitantem, ægri temperiem inſitam, & cætera, morbi antecedentia. Sanguineam excitat diatheſis inflamatoria in Syſtemate pollens, denſo, Rubro, cruore præditos adoritur, & auctioris ſanguinis affluxus, congeſtioniſque in capite, omnia haben-

(*) Boerhaav. Aph. 1008.

bentur indicia. Species altera, ſero hydropico ſcatentibus peculiaris eſt, eam denunciant ſolidi vivi torpor, Animalium facultatum ſtupor univerſus, pulſus rarior, molliorque, vultus pallidi, ſeroſa plerumque vocatur, rationemque medendi ſibi propriam a Practicis ſemper obtinet (†). " Catalepſis ab Apoplexia
" differt in eo, quod in hoc Morbo æger absque ullo
" ſenſu immotus maneat in eodem corporis ſitu quo
" corripiebatur, & omnes Muſculi ſuo munere fungi
" pergunt, ut corpus erectum ſuſtineatur, in Apo-
" plexia vero, omnes muſculi voluntarii paralytici fiunt
" & penitus impotes corpus ſuſtinendi cadunt. (*)"

Cæteræ affectiones ſoporæ juxta Boerhaavium cui in hac re convenit Cullenus Celeb. leviores Apoplexiæ ſpecies tantum, eſſe videntur, affectio unde ægrius dignoſcitur, gravis & altus eſt ſomnus, temulentiam, diutinum laborem, vigiliasque, excipiens, hæc vero affectio, ex cauſa occaſionali facile cognoſcitnr, nec ad-

(†) Greg. Prælect. pract. (*) van Swieten.

adeſt reſpirationis pulſusque perturbatio. Syncope juniori & ſeniori ætati promiſcue convenit, Apoplexia non æque ſed maxime ſeniori, in ſyncope ſemper adeſt pallor faciei, Dentes, Labia, manus, plerumque clauduntur, quorum contraria in Apoplexia obtinent. "in Epilepſia motus muſculorum non abolentur, tan-"tum perturbantur, verum quidem eſt quod Apoplectici "quandoque ante mortem convelluntur, ſed tunc Epi-"lepſia ſuccedit Apoplexiæ prius exiſtenti. (†) Apo-"plexia Celeris atque acuta natura intelligatur, Paralyſis "vero propria quæ dicitur tarda ſemper intelligatur (*).

HISTORIA.

Malum hoc nec ſenſorii Functionibus, nec ſyſtematis motibus parcit, ſed utrisque infenſum, eorum vires peſſundat. Quibus vero ſignis hanc cladem imminere, quibus præſentem pernoſcere, & quæ decedentem ſtipare ſolent, nobis aliquatenus dicendum eſt.

An-

(†) van Swieten. (*) Cæl. Aurel.

Ante paroxyſmum non ſolum generalem quendam ſtuporem, ſed etiam ſenſuum ſingularium acumina Læſa, obſervaverunt Authores; talia morbi ictum, quandoque multos annos præcedunt, tamen non ſemper permanentia ſed nunc hanc, nunc aliam corporis partem afficiunt, ita vero præcedere rarius eſt, plerumque enim ſolum ingruentem morbi inſultum comitantur, Et partes morbi tempore præcipue reſolvendas indicant. Affectiones præternaturales multiplices oriuntur. Interdum præcedit generalis uti laſſitudinis atque torporis vel ponderis ſenſus, adeſt quoque frlgoris & formicationis ſenſus, brachia potiſſimum perreptans, manus, quandoque totum corpus tremit. vox non raro interrumpitur, rerum obliviſcitur, mente ſæpe abalienatur æger. plurima etiam capite ſentiuntur, ut ejus dolor atque gravitas, cum ſcotomiâ vertigo, tenebræ occulis offunduntur, vagi ſplendcres occurrunt, aures tinniunt, adeſt & ad ſomnum proclivitas, ſomnusque obtinet unde difficilius expergiſcitur æger, huic ſopori comes frequens eſt incubus.

Nequicquam avidos extendere curſus
Velle videmur, & mediis conatibus ægri
Succidimus non lingua valet, non corpori
Notæ ſufficiunt vires, nec vox, nec verba ſequuntur(†)

Ingruente malo, quædam harum ſenſationum graviores fiunt, quædam etiam perduntur donec exquiſitâ Apoplexiâ nil ultra moleſtiæ percipi videtur.

Motus ſyſtematis, æque ac ſenſorii functiones afficiuntur, deficiunt quidem vel modo a ſanitate alieno per aguntur, motus defectus eſt Paralyſis, quâ pars aliqua corporis plerumque laborat, aliquando totum latus convulſionibus corripitur, & tunc non raro latus oppoſitum paralytica affectione tentatur, quandoque organum modo unicum agitatur, ſic vomitus, brachiorum, crurumque convulſiones, & varii præcipue inter dormiendum tremores occurrunt.

Apoplexiâ autem gravî nullo præeunte ſigno non raro corripiuntur Homines, perculſus ſubito ictu, quaſi cælitus inflicto (quod revera accidere credebant ve-

(†) Virgil Æneid. 12. line 910

veteres, ſolo proſternitur æger, hocque fit modo adeo notabili ut inde nomen ſibi adſciſcere videtur morbus.

“ Alii, nomen ex eo, quod cum antiquitus Ani-
“ malia ſacrificanda, ſecuri in fronte tam valide per-
“ cuterentur, ut repente conciderent ea Αποπληκλα
“ dicebantur, Homines vero hoc morbo concidentes
“ Αποπληκλες, ipſumque morbum Αποπληξιαν. (†)
“ Apoplexia dicta eſt quod tanquam ex lethali per-
“ cuſſu repentinum faciat caſum. (*)

Hactenus ſigna quæ docent impendere malum nunc de quibus præſens cognoſcitur agendum eſt. ſtupiditas ſemper in Apoplexia adeſt, conjunctaque affectione ſoporoſa ejus præſentiam ponit, ſtupiditas hæc, memoriæ vacillatio, ſoporque, creſcere pergunt donec ſenſorii functiones vel prorſus abolentur vel incipiat convaleſcere æger, quibus autem Paroxyſmi temporibus non penitus ſopitur adeſt delirium, in gravi vero paroxyſmo ubi ſtupiditate obruitur, nullas idearum ſpe-

(†) Flammer dinge (*) Cæl. Aurel.

ſpecies revolvit æger. (†) in Apoplexia, motus voluntarii perduntur, involuntarii vero abnormes agere pergunt, nimii ſunt in ſyſtemate vaſculoſo, cujus vires ſæpe in initio morbi augentur, hoc ſæpius obtinet in hujus ſyſtematis parte ſuperiore, ut ex vultus inflatu, oculorum rubore, & aliis, quæ ſanguinem majori copia ſuperiora verſus delatum monſtrant, videre eſt. etiam cum grave eſt malum, pulſus arteriarum reſtant pleni atque magni, ad quendam vero gradum pervento, cordis & arteriarum actiones minuuntur. perturbantur etiam & ſecretiones, ſpuma circa os fauceſque verſatur, illachrymantur occuli, frigido, viſcidoque, vultus ſudore madent, fæces, Lotiumque ſine voluntatis nutu excernuntur. at cum gravis factus eſt morbus ſecretio multum interrumpitur, vaſa minima non bene repleri videntur, hinc aſpectus iſte corneæ oculi quaſi vitreus in Apoplecticis obſervatur (*)

Reſpirationis, non minus quam ſanguiferi ſy-

(†) vide van Swieten. Tom. tert. pag. 267. (*) Whyttius.

ſyſtematis vires afficiuntur, ipſa fit rara, alta, & laboriosa quandoque ſonus editur querulus, adeſt & ſtertor veræ Apoplexiæ ſignum pathognomicum.

Notandum eſt, Apoplexiæ paroxysmos, vel ſtimulis Applicatis vel ſponte, ſæpe remittere, immo levari, & diverſis intervallis, pejoribusque non raro, quam antea ſymptomatibus reverti, ſicque remittere ac redire donec, quod raro accidit, revaleſcat æger vel mors ſcenam claudat.

Ut abit morbus eſt plerumque ſanguinis, puris, Lymphæ, &c per os, nares, quâque data porta exitus. Affectiones, functionum læſarum quæ Apoplexiam abeuntem ſtipant, fere eædem ſunt ac quæ præcedunt, ordine tantum converſo, ita ut quæ primæ inſtante morbo occurrebant, poſtremæ convaleſcentem relinquunt, remanet autem ſæpiſſime poſt morbum ingenii acuminis memoriæque jactura, vis omnis animi perditur, quin & ad ſoporem proclivitas, ad motum torpor, hebetudo, & puſillanimitas per totam vitam reſtant. (*)

DIS-

(*) Id Hiſtoriæ ex Doct. GREGORY prælect. VAN SWIETEN WEPFERO aliisque paſſim colligendum eſt.

DISSECTIONES.

Inciſa Cadavera, ab hoc morbo extinctorum; per organa ſua, diras ſtrages exhibuere, per cerebrum præcipue & appendices ejus, nec Pulmo, nec cor, nec jecur, nec lien, tubusque inteſtinalis immunia evaſere, quin & ipſe ren ſua morboſa præbuit phænomena, quæ & qualia ſe exhibent, quoniam ſingula ordine notare hic longum foret, qui, ea accuratius vult diſcere, Bonetum adeat, Wepferum, & Morgagni.

CAUSÆ.

Seminia, quæ hoſpitium nacta idoneum, & altius in Syſtemate radicem agunt, morboque pariendo in effectum demum matureſcunt, ſponte ſua cum quadam corporis Fabrica creſcunt, Fabrica hæc, ex capite magno, collo brevi, corpore valde craſſo, & pingui, conſtat. Cui conſpirant, indoles hæreditaria, temperies plethorica, & ad ſenectutem vergens ætas. Vitæ genus lautum, crapulis immerſum perpetuis, ſuppreſſio

vel

vel neglectus conſuetarum evacuationum, ſeminia hæc ad maturitatem accelerant.

POTENTIÆ NOCENTES.

Hæ, vim ſuam duplici modo exerunt, 1°. vim nervoſam proxime ita afficiendo ut ejusdem munus penitus tollatur, 2°. mediate, delendo organa & Functiones ad eam ſuſtinendam neceſſarias. Priori modo, agunt cauſæ, quæ ſoporem graviorem producunt, ut algor, pathemata animi ſedantia, venena quædam, ut & omnia quæ incitationem vehementiorem pariunt. Poſteriori, quæ cerebri vaſa, nervorumque originem ita comprimunt ut officio ſuo fungi nequeant. Comprimi autem ſolent.

1°. Vi externa, cranium frangente, & in cerebrum deprimente, 2°. tumoribus intra cranium natis, qui, per externa indicia raro innoteſcunt, adeoque remediis haud facile patent, 3°. repletione nimia, & diſtenſione, vaſorum cerebri, 4°. effuſione fluidorum intra cranium. Effuſio vel ſanguinis rubri, vel fluidi ſe-

roſi eſſe poteſt, ſanguinis ab anaſtomoſi, Ruptione, &c. & hæc deinceps cauſis plurimis excitari ſolent. Seri effuſio, ex reſiſtentia venarum vim ſanguinis in arteriis ius [illegible]reſpondentibus ad Ruptionem usque augente, diatheſi ad hydropem in Syſtemate pollente, laxitate præternaturali exhalantium & inhalantium vaſórum cerebri, unde fluidum ſeroſum in cavis encephali congeritur, ſuppreſſione conſuetarum evacuationum præcipue urinæ, quæ in vaſa iterum reſorpta & inde in cerebrum effuſa, ſub Apoplexiæ forma deleterios edit effectus (*)

Quin & ipſe aër poteſtatibus ſuis interdum ſcatet nocivis unde morbus fit epidemius (†).

PROGNOSIS.

Morbus hicce, raro aliud quam triſte, præbet, & funeſtum præſagium, anceps quando optimum, & Medico ingratum, ægroque ſolatii expers, nullus enim

(*) Culleni Prælect. Practicæ. (†) Bagliv.

enim morbus ad redeundum proclivior nec plenæ dantur ejus intercapedines, ſed finita Apoplexia plerumque incipit Paralyſis.

Magnitudo & periculum mali ab ægri ætate, temperieque cenſenda ſunt, ſymptomatum vehementia, prægreſſo morbo, aut cauſa vehementiore alia, ubi hæc omnia ad exquiſitam Apoplexiam formandam quaſi conſpirant, cito dant ruinam, & in cataſtrophe ſua, terminat malum, nec remedium admittit. Hinc Hippocrates λυειν αποπληξιαν ισχυρην μεν αδυνατον. Paulo gravior ſuperata cauſa in paralyſin ſolet mutari, vel partis alicujus muſculoſæ, vel totius lateris unius, unde hemiplegia vel omnium, cervici ſuppoſitarum partium unde paraplegia dicitur, quæ raro curatur, ſemperque memoriæ, judicii, & motuum, læſiones relinquit " hinc Celsus ſolent autem qui per omnia
" membra vehementer reſoluti celeriter rapi, ac ſi cor-
" repti non ſunt, diutius quidem vivunt, ſed raro ad
" ſanitatem perveniunt, & plerumque miſerum ſpiri-
" tum trahunt memoria quoque amiſſa." Levitas &

ſanabilitas mali ex levitate & abſentia dictorum ſymptomatum decernitur, lenis Apoplexia ſolvitur ſuperveniente ſudori copioſo, æquabili, rorido, calido, levante, urina multa, craſſa, Hæmorrhoidibus largis diu fluentibus, fluxu menſtruo reſtituto, alvi fluxu, febre magna (*). Si ad ſe primo quatriduo redit æger, ſanitas integra ſperanda eſt (†).

CONSILIA MEDENDI.

Sunt, primo, compreſſionem a quaviſcunque cauſâ ortam, ejusque cauſas omnes removere, ſecundo, vim nervoſam quatenus ſuppreſſam excitare, tertio, ubi æger e paroxyſmo excitatur malis quæ inde ſequuntur occurrere, & quarto, recidivam arcere. Hæc vero præſtare, hic labor, hoc opus. Imprimis æger ſitu idoneo capite humerisque elevatis collocandus eſt, & ſanguine confeſtim miſſo, ubi ab externa vi, compreſſio nata, vel ſi adſit ſuſpicio fluida inter cranium & cerebri membra-

(*) Boerhaav. (†) Macbride.

branas eſſe extravaſata, ad operationem Chirurgicam ſtatim procedendum eſt, ut & in deſperatis omnibus, quoniam ſatius eſt anceps experiri Remedium quam nullum. In Apoplexia ſanguinea, *ισοϱϱοπον μεν αν ιητηριον. ὡς μεγαλῳ παθεϊ μεγα βοηθημα φλεβοτομιη*; (*) de utilitate & neceſſitate ſanguinis detractionis hic inter omnes convenit, quo vero pacto, aut quo ex loco ſubtrahendus eſt, iterum in diverſum abeunt. Nonnulli, & inter hos Catherwood præcipuus, arteriotomiam ſolam, ſolum eſſe remedium contendunt, ſi vero cum Hippocrate, (*Αποπληκτοι δε μαλιςα γινονται ηλικιη τη απο τεσαρακοντα ετεων αχρις εξηκοντα*) conſideremus, provectiores ætate huic affecto maxime patere, ubi venarum plethora, earumque hæmorrhagia, præcipue obtinet, non hæſitandum eſt quin ſanguis e venis, æque ac ex arteriis, feliciter educatur, cumque in omni mora, periculum verſatur, ubi ſe facilius præbet vas pertundatur, ideoque brachium unum atque

(*) Aretæus.

que alterum ſimul ſi commode fieri poteſt aggrediendum, & hinc ad vaſa jugularia aſcendendum eſt, interea quoniam ſtrictura ſpasmodica hic, plerumque extrema occupantur, forſitan haud inutile foret levibus ſacrificationibus inferiora adficere, eaque ſurarum tenus tepido balneo inmmergere. Laudatur, & vaſorum occipitii ſectio, ab eximiis Viris Morgagni, & Meadio, immo ipſe moribundus hoc malo, Fracaſtorius (teſte Riverio), ſuppreſſa jam voce ſignis popoſcit, ut extremum hoc ſibi præſtaretur remedium. ubi ſanguis impetu nimio ad caput fer-
" tur prodeſt & faſcias brachiis femoribusque circum-
" jicere ita ut comprimantur venæ, non adeo arteriæ
" utpote profundius ſitæ, unde magna humorum copia
" colligetur in artubus & ad caput affluxus inhibetur. (†)
" nec minus interea clysmatibus blandis alvus ſubdu
" cenda eſt ut humorum propenſio a capite divertatur,
" ab acribus tamen cavendum, ne nerveas inteſtino-
" rum

(†) van Swieten.

" rum tunicas impetuoſius aggrediendo in iis ſpas-
" mos ſuſcitent, & hinc majori copia ſanguis ca-
" put verſus impellatur, blandioribus igitur & na-
" turæ amicis hoc expediendum (*) ". nec minimi refert ut humorum determinatio ad inferiora protrahatur, hoc vero præſtare, præter ſcarificationes & pediluvia jam præſcripta, veſicantibus & rubefacientibus inſiſtendum eſt, veſicatoria plantis pedum applicanda, cruraque per excutias, & frictiones excitanda ſunt, & quoniam veſicæ ex cantharidibus non tam ſtimulo quam vi anteſpasmodica pollent, quæritur ni, præmiſſis præmittendis, uſui foret caput ipſum veſicatoriis adoriri. A ſtimulantibus vero quibuſcunque naribus adhibendis, vel ore ſumendis cavendum eſt, ne humorum orgasmus, in cerebro majori gradu excitetur, & hinc in pejus ruat malum.

In ſeroſa Apoplexia indicationes curatoriæ eædem ſunt ac in ſanguinea, ſed rationibus aliis obtinendæ.

Hic

(*) Hofman.

Hic ſanguinis miſſio remedium anceps eſt valde, & forſitan hinc ambiguum illud Celſi axioma, ſi omnia membra vehementer reſoluta ſunt ſanguinis detractio vel occidit vel liberat.

Huc etiam ſpectat Aretæus *ην δε μη δοκεη ταμνειν φλεβα, ψυξιος πολλης, και ναρκης, και αναισθησιας, αμφισχουσης τον ανθρωπον, υποκλυζειν, ες κενωσιν του πληθεος, των εν τοισι εντεροισι —— εσω δε το κλυσμα δριμυ κι φλεγματων, και χολης αγωγον.* Hic quoniam ſeri redundantia in ſyſtemate pollet, & adeſt plerumque ad hydropem diatheſis, quantum fieri poteſt nitendum eſt ut morbi materies quam citiſſime a capite detrahatur & per alvum, urinas, & cætera corporis emunctoria excernatur. Per alvum clysmatibus & cartharticis acribus repetitis, per urinas, dureticis ſtimulantibus & ſolventibus ſimul, inferiora frictionibus & rubefacientibus tentanda ſunt, & capillitium totum epipaſtico obducendum, ſi proceſſerit malum nec remediis ceſſerit præſcriptis, nauſeabundusque ſit æger, emetico leniter evacuante vo-

mitus

mitus proritandus eſt, prodeſt & errhinis menbranas narium ſollicitare, ut majori hinc copia mucus excernatur, his jam peractis, malo tamen perſtante, num ulterius progrediendum? num ad cauterium? crudedele hoc quidem remedium, nec tamen inauſum, & quoniam fauſtum quandoque, experiundum, vertici præcipue, & occipitio, adhibendum eſt.

Suſcitato jam ægro, modo quod ſuſcitari poteſt, analepticis blandis reſtaurandus eſt, ſitu idoneo capite humerisque paululum elevatis collocandus. Ex ſanguinea, alvus refrigerantibus, ex ſeroſa, acribus, laxa leniter habenda eſt. ex ſeroſa, ſuperficies tota, ex ſanguinea, inferiora tantum frictionibus, excitanda ſunt.

Ad arcendam ſanguineæ recidivam, laudatur victus parcus & tenuis, ab epulis nocturnis, cænisque, in totum abſtinentia, modica & crebra ſub dio exercitatio. alvus ex refrigerantibus, ex aloeticis quandoque, & aliis quæ rectum ſtimulant, hæmorrhoidum, menſtruorumque, fluxum inducunt paulo fuſior habenda

& ſi ſit ad plethoram propenſio, æquinoctialis venæ ſectio inſtituenda eſt.

Seroſa arcetur, copiam humorum, Fonticulis, & ſetaceis minuendo, alvum lotiumque, acribus ducendo, ſolida frictionibus, ſtimulisque excitando, tonicis exercitioque firmando, modico & paulo lautori victu ex aſſis, cum aliquanto, vini generoſioris, raphani, & ſinapi, utendo: an mutatione cæli hujus morbi effugium quærere Prodeſt, cum nullibi crebior, aut plura funera, quam temperatiſſimo italiæ ſub æthere edit? ut ex Morgani, Baglivi, aliorumque ejus climatis clarorum, ſcriptis conſtat.

Summa manus huic Diſſertatiunculæ, non ante imponenda, quam veniam ob defectus, mendasque quibus ſcatet, rogaverim. Quam manca ſit & debilis probe gnarus, ſpes vero omnis, in Lectoris Benevoli comitate vertitur, ſed potiſſimum, Præclarorum, Leidenſium Profeſſorum benignitate, quorum candorem, & humanitatem, ego jam affatim expertus ſum, coque

eoque magis deprecari cogor, quod temporis Anguſtiis, nunc, incluſus iniquis, eam, iterum incudi reddere nequeo.

FINIS.